

non in aedificiis, sed in civibus positam. Melius itaque salutem navibus, quam urbi commissuros. Hujus sententiae etiam deum auctorem esse. Probato consilio, conjuges liberosque cum pretiosissimis rebus, abditis insulis, relicta urbe, demandant: ipsi naves armati conscendunt. Exemplum Atheniensium et aliae urbes imitatae. Itaque cum adunata omnis sociorum classis, et intenta in bellum navale esset; angustiasque Salaminii freti, ne circumveniri a multitudine posset, occupassent, dissensio inter civitatum principes oritur: qui cum deserto bello ad sua tuenda delabi vellent, timens Themistocles, ne discessu sociorum vires minuerentur, per servum fidum Xerxi nuntiat: Uno in loco eum contractam Graeciam capere facillime posse. Quod si civitates, quae jam abire vellent, dissipentur; maiore labore ei singulas consequendas. Hoc dolo impellit regem signum pugnae dare. Graeci quoque adventu hostium occupati, praelium collatis viribus capessunt. Interea rex, velut spectator pugnae, cum parte navium in littore remanet. Artemisia autem regina Halicarnassi, quae in auxilium Xerxi venerat, inter primos duces bellum acerrime ciebat: Quippe ut in viro muliebrem timorem, ita in muliere virilem audaciam cerneret. Cum anceps praelium esset, Iones juxta praeceptum Themistoclis, pugnae se paulatim subtrahere coeperunt, quorum defectio animos caeterorum fregit. Itaque circumspicientes fugam pelluntur Persae, et mox praelio victi, in fugam vertuntur. In qua trepidatione multae captae naves, multae mersae; plures tamen non minus saevitiam regis, quam hostem timentes, domum dilabuntur.

MARDONIO TERRESTRIS EXERCITUS COMMISSUS. XERXES AEGRE EVADIT
PISCATORIA SCAPHA: EJUSDEM PEDESTRI EXERCITUS FAME OBRUITUR:
UNDE NOVA CLADES. (C. XIII.)

Hac clade perculsum, et dubium consilii Xerxem Mardonius aggreditur. Hortatur, in regnum abeat, ne quid seditionis